

naturalem, idest animæ inclusionem in corpus, simulque gratiam & sanctitatem designant, perpetuam comitem Conceptionis, eique affixam, & inhærentem. Quam qui negat, is non modo Ecclesiam contemnat necesse est, sed etiam rationis usum prorsus amiserit; quippe qui facilis, invictique argumenti nec vim percipiat, nec veritatem hujus Mysterii, quod tanto in lumine collocavit Ecclesia, cæcus adhuc, & stupens intueatur.

IV. *Paulus Quintus, ut sedaret contentiones, & rixas non sine offensa, & scandalo plurimorum exortus, & in dies crescentes, edidit Constitutionem anno 1616. die 6. Julii, & est 97., que incipit, Regis pacifici, in qua confirmat Constitutiones supra dictas Sixti Quarti, & Pii Quinti, & transgressoribus auget penas. Quia tamen dissidia increbuerant, in alio decreto relato in sequenti Gregorii XV. prohibuit, ne in quibuscumque actibus publicis quis audeat asserere, Beatam Virginem cum peccato originali conceptam fuisse. Gregorius XV., in sargentibus continuo novis dissidiis cum deplorabili-jactura charitatis Christianæ, pacis, & tranquillitatis Ecclesie sub die 24. Maji 1622. decretum Pauli V. extendit etiam ad actus privatos, prohibens sub gravissimis penis, ne in scholis, & privatis colloquiis quis audeat asserere B. Virginem in peccato fuisse conceptam, exceptis tamen (sunt verba decreti) quibus à Sancta Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum. Et de facto sub die 28. Julii ejusdem anni excepit ab hoc decreto Fratres Ordinis Prædicatorum his verbis: omnibus, & singulis dicti Ordinis Prædicatorum Fratribus, ut de cætero in quibuscumque privatis eorum colloquiis, seu conferentiis inter se dumtaxat, & non inter alios, de materia ejusdem Conceptionis B. Mariæ Virginis disserere, & tractare, absque ullo pœnarum in dictis decretis contentarum incursum, libere, & licite possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam concedimus, & impartimur.*

Inepte jactas hanc potestatem Prædicatoribus factam disserendi privatim de Conceptionis Mysterio. Hanc enim omni-